

CAPVT PRIMVM.

De Observationibus Cometae, iis temporibus, quibus nobis aspectabilis fuit, caelitus habitis, Inprimis, quantum ad eius à fixis quibusdam Sideribus remotiones attinet.



Observationes huius Cometae, iis temporibus, quibus Coelum serenum eius aspectum nobis largiebatur, diligenter perfeci, tribus inprimis exquisitis, & affabre, è solido Metallo, confectis Instrumentis, iisdemque tantae magnitudinis, vt de scrupulis singulis, omni sensibili errore semoto, certitudinem ratam praebent; Radio videlicet Astronomico, Sextante (Instrumento pro distantijs capiendis à nobis inuento, quod radij vices, certius & longè commodius supplet) & Quadrante insuper, qui vnà Azimutha expedite, dum conuoluitur exhibet; de quorum structura, suo loco & tempore, vbi aliorum Organorum, aliquot elapsis annis, maximo labore, nec minore sumtu, affabre confectorum, compositionem vsuque exponemus, copiosiore declarationem instituere decreuimus.

Quae verò, in his ipsis Cometae observationibus, iis diebus, quibus nobis apparuit, animaduertentim, nunc ordine commemorabo, idque, saltem quo ad distantias à fixis aliquibus attinet, quas & Radio, & Sextante Astronomico, sedulo assequutus sum. Altitudines & Azimutha, quae per Quadrantem, certis temporibus deprehendebantur, iis in locis, vbi vsus eorum postulat, recenserebo, nec vllam eorum, quòd distantijs obseruatis multò pauciores fuerint, hinc mentionem instituiam. Adiungam verò vbique caudae ductum, versus quas videlicet fixas, ea à capite producta cernebatur, vt huius etiam aliqua euidentis ratio, cur ea se eo & non alio modo direxerit, demonstratiuè concludatur.

A

ANNO